



D

D

D

Faint handwritten text, possibly a library stamp or ownership mark, including the name 'A. Ober...' and other illegible characters.





507
Q. D. B. V.
Dissertatio Historico-Physica,
DE

FLUXU SANGVI-
NIS E CORPORE OCCISI
AD PRÆSENTIAM OCCISORIS.

Quam
DEI & Superiorum indultu
in Alma Philureâ

Publica eruditorum censura submitunt,

PRÆSES

M. CHRISTOPHORUS PFAUL-
ZIUS, Ulmensis,

&

RESPONDENS

CHRISTIANUS Blauschmied /

Ph. Bacc. Weidâ Variscus,

Ad diem 19. Nov.

H. L. Q. C.

Lipsiæ, Typis JOH. WITTIGAU,
ANNO clb lbc LXIV.

Pe. Lic. & flutor.

D. D. B. V.
D. D. B. V.
D. D. B. V.

FLUXU ZANGLI

NIS B. CORPORE OCCISI

M. CHRISTIANI OCCISORIS

D. & Superiorum indulgentia

is. s. s. s.

Publice excommunicatus & schismaticus

P. R. A. S. S.

M. CHRISTOPHORUS PRAU

S. U. S. Lincolniensis

RESPONDENS

CHRISTIANUS S. S. S.

M. B. S. S. S.

M. B. S. S. S.

M. B. S. S. S.

M. B. S. S. S.

M. B. S. S. S.

M. B. S. S. S.

M. B. S. S. S.

M. B. S. S. S.

M. B. S. S. S.





Q. D. B. V.

Prooemium.



Ispicienti mihi de materiâ ad disputationem habendam, inter alias hæc præsens, de effluxu sanguinis ex corpore occisi ad præsentiam occisoris, occurrit. Quæ non indigna mihi videbatur, ut examini clarorum virorum subjiceretur: tum quod de hæc materia rarò, quod ego quidem sciam, disputatum hîc fuerit, tum quod ipsa illa materia omninò mereatur, ut de eâ publicè disquireretur; atque illud eò magis, quò majores celebrioresque circa hanc rem doctiorum sunt disensiones. Quare in hæc potiùs, quàm aliâ materiâ vires meas experiri animum induxi meum; non quidem quod me huic argumento pro dignitate pertractando parem esse considerem, sed quod hinc majorem quàm aliunde in me usum redundaturum sperarem; idcirco etiam, si quæ minus congrua & huic materiæ imparia à me scripta fuerint, veniam mihi Æ. L. dabit, quod etiam magni alioquin nominis viros in hæc materiâ lapsos esse videat, & illa non immeritò altioris indaginis æstimari possit, quàm ut à me sufficienter tractari queat. Quæ etiam me ab hoc themate facilè abstertere potuissent, si ea meis rationibus prævalere voluissem. Sed cum eæ mihi majoris ponderis visæ fuerint, in proposito perstiti, & hanc materiam pro re natâ pertractavi, hanc quidem methodum servans, ut, cum duo potissimum circa hanc disputationem in quæstionem veniant, I. utriusque quæstionis statum formem, II. circa quæstionem priorem discrepantes sententias recenseam, veram sententiam proponam & confirmem, adversariosque refellam. III. circa quæstionem posteriorem varias opiniones autorum referam, & ex illis IV. rejueulas refutem, & V. veram sententiam tradam, eamque rationibus sulciam atque stabiliam, Quod

antequam aggrediar, hoc Lectori Equo prius significandum duxi, me, sicubi opiniones atque sententias aliorum, rei necessitate ita exigente, refutem; nullius honori aut existimationi aliquid detractū, sed omnia, salvā dissentientium autoritate, solius veritatis studio, scripta velle. Sit itaque.

CAP. I.

§. I.

TRactationi nominis non diu immorabimur, sive enim quis id, de quo disputamus, *αιματόδεςζω*, sive *cruentationem cadaverum*, sive alio quocunq; nomine appellare velit, per nos ei licebit, nobis enim id perinde est, neq; cuiquam de nomine hīc, dummodo in re conveniamus, magnam litem movebimus, sed saltem de iis, quæ ad nostrum institutum facere videbuntur, laborabimus.

§. 2. Hoc tantum notasse sufficiat, utrumque, tum *αιματόδεςζω*, tum *cruentationis cadaverum* vocabulum obscurum atq; ambiguum aliquantum esse, neq; rem significandam primo momento clarè explicare.

§. 3. Cū primum vi compositionis suæ idem significet ac sanguinis demonstrationem, ostentationem, indicium, illa verò demonstratio, ostentatio, indicium multiplex esse potest, nec, datā demonstratione &c. sanguinis indifferenter, statim intelligo demonstrationem &c. sanguinis ad manifestandum homicidam.

§. 4. Secundum verò latius sit, quàm ut pro adæquato rei significandæ vocabulo haberi possit; hoc enim nomine aliæ etiā sanguinis & defunctorum corporibus stillationes signari possunt: v. gr. illa, quæ mortuo Friderico I. Daniæ rege Anno 1532. contigit, *corpus enim ejus feretro pice undi quaq; obducto inclusum, sanguinè abundè stillasse, & non iam per feretrum pice illitum, d. & lintheamina cerata ubertim in terram promanasse dicitur; adeò ut necessum fuerit, vasis sarcophago suppositis cruorem copiosè profluentem excipere*, referente ex Regno a) Harsdörfero b) qui ibidem addit; *in nuperrimè defuncti Daniæ regis corpore simile contigisse*. Quod etiam me puero, in parentis meæ p. in corpore exanimi, quod per biduum, ni fallor, sanguine copiosè è naribus manavit, accidisse memini.

§. 5. Qua-

a) In Chronic. Lubecens. p. 171. b) im Schauplatz jämmerlicher Mordgeschichte p. m. 445. seq. unde hæc utrunque transtulimus.

§. 5. Quapropter maluimus rem hanc in inscriptione, disserta-
tionis verborum paucorum dispendio, ut lectori de materia disputa-
tionis statim innotesceret, circumscribere; quam eandem unico
αἷμα τοῦ δειξέως vel *cruentationis cadaverum* vocabulo obscuram pro-
ponere, & lectorem de materiâ dubium relinquere.

§. 6. Ad rem ipsam properamus. Duæ igitur in hâc re maximè
celebres sunt controversæ quæstiones. 1. an sit. 2. quæ sit causa ejus.
Utramq; explicatiorem in hoc capite dabimus.

§. 7. In primâ igitur communiter quæritur: An detur talis san-
guinis è corpore occisi præsentè occifore effusio. Ubi notandum

§. 8. *Primò*: Sensem quæstionis hujus non esse: an semper ex
corpore occisi ad præsentiam occiforis talis effusio sanguinis conti-
gerit, ita ut præsentiam ejus necessariò semper consecuta sit & adhuc
dum consequatur illa sanguinis ebullitio; d. abstrahendo, an illud sem-
per acciderit, quæri tantummodò an aliquando saltem acciderit.

§. 9. *Secundò*: Vocabulum *sanguinis* non ita strictè sumi ac
communiter in physicis, pro humore illo in venis & arteriis contento,
accipitur, & à variis variè definitur, (quas definitiones hîc loci re-
censere, aut discrepantes in illa materiâ naturæ mystarum sententias
examinare è re nostrâ esse non duximus, siquidè illas controversias nô-
stras non facimus, d. ad suos autores remittimus.) d. esse amplian-
dum, ita ut etiam humori illi in corporibus defunctorû, qui, dum vivē-
rent, sanguinis veri vices obiit, accommodari possit. Nam certum
est, veri sanguinis definitionem, si non ad omnia, saltem ad aliqua hu-
moris hujus effusæ exempla non quadrare, uti ex infra positis patebit.
Quare etiam sanguinis nomine penitus abstinuissimus, & aptius vo-
cabulum cruoris substituissimus, ni ab aliis & plurimis imò plerisque
hanc vocem sanguinis usurpatam fuisse vidissemus, contra quos cum
disputemus, meritò eorundem vocabula quæq; retinemus.

§. 10. *Tertiò Corpus* hîc sumi pro parte hominis contradistinctâ
animæ, idq; per ampliationem quandam, ut sit sensus: è corpore,
non quod nunc est corpus hominis, d. quod olim fuit; uno verbo pro
cadavere.

§. 11. *Quartò* illud: præsentè occifore, intelligendum esse redû-
plicative, ut horum verborum sensus talis sit: præsentè occifore, non
quatenus homo tantum est, d. quatenus occifor est, ut sublato respectu
illo nõ facta esset sanguinis profusio, & ut sic illa præsentia ad minimû

fit conditio sine quâ non hujus effluxus. Hoc enim negant, qui quæ-
stionis hujus negativam amplectuntur, dicentes: non magis stillare
illa cadavera accedente occifore, quàm alio quocunq; homine.

§. 12. Quinto, intelligi hîc occiforem non fortuitum, d. qui præ-
meditatò, ex odio, vindictæ cupiditate & similibus causis hominem in-
teremit, nec talem, qui tanquam publicus minister magistratûs ex lege
& jussu superiorum hominem è medio tollit, quales v. gr. sunt, qui
vulgò carnifices audiunt, & certo respectu milites &c. Et quod hîc
de occifore dicitur, è contrario ad occifum quoque suo modo
referimus.

§. 13. Hoc quoq; non prætereundum, Gregorium Horstium in
σύνεψις physicâ medicâ de casu quodam admirando, hanc quæstionem
invertisse hoc modo; an fluxus sanguinis in cadavere occifio præsen-
tiam interfectoris indicet: cùm hoc præcipuè non sit in controversiâ,
non dubium enim est, quandoq; cadaver occifi sanguinem stillare pos-
se & forsitan stillasse absente interfectore: sed hoc potius quærat, an
interfectore præsentem ejusmodi cruentatio fiat. Sed Horstius sine du-
bio hoc fecit, ut formalius responderet ad casum propositum: quæreba-
tur enim, an Juvenis illius globo æneo percussis & hinc mortui, sanguis
è vulnere manans præsentiam occiforis arguat?

§. 14. Quæstionis statum igitur ita formamus: *An aliquando ca-
daver occifi sanguinem aut huic similem humorem præsentem occifore, non
qui fortuitò, sed ex deliberatò hominem illam vitâ privavit, effuderit,
idq; quia ipse ut homicida præsens est.* Et hæc est quæstio prima.

§. 15. In secundâ vulgò quæritur? an talis sanguinis effluxus na-
turaliter fiat. Ubi iterum notandum, tò naturaliter hîc sumi pro eo,
quod ex naturalibus oritur causis: per causam autem hîc intelligimus
efficientem, ut quæstio sit: *An causa efficiens hujus fluxus in cadavere
sit naturalis nec ne?* & hæc est secunda.

CAP. II.

§. I.

Quod jam priorem attinet quæstionem, in duas circa eam autores
abeunt sententias. Una pars negativam tenet, affirmativam altera.

§. 2. Quæ negativam defendit, numerò inferior est alterâ; sunt
tamen ex illis, de quibus mihi quidem constat, B. Sperlingius c)

Hor-

c) Instit. physic. l. 2. c. 3. p. 342.

Horstius d) & apud Horstium e) citatus Joh. Zangerus J. C. f)

S. 3. Et primus quidem hâc de re ita: *Experientia de sanguine fluente è cadavere occisi ad præsentiam homicidæ fallax est. Nec enim semper sanguinem stillat cadaver homicidæ præsentem: nec, quoties stillat, toties homicidæ astat. Invenis cadaveris aliquot dies & septimanas reservatur sanguis. Hinc vel levi factâ commotione ad corporis ruit habitum, ac per nares aliasq; vias patentes, elabatur, sive adsit, sive absit homicidæ.*

S. 4. Secundus verò, Horstius nempe g) inter alia ita ait: *Quamvis enim negare possumus, quòd interdum FORTE FORTUNA præsentem interfectore hæmorrhagiam patientur cadavera: nullus tamen negabit, ut plurimum quoq; absentibus homicidis cadavera quadam sanguinem stillare, imò sæpius verò interfectore præsentem penitus frustra tale signum à iudicibus expectatur: interdum non verò, sed ficto autore præsentem cruentatio sequitur &c. postquam verò varias autorum sententias recensisset & concessisset, præsentiam percussoris in vulnerato vivente Sanguinis fluxum posse commovere, negat conclusionem secundam, in cadavere vulnerato fluxus sanguinei interfectoris præsentiam per ætiam d. J. causam esse. Tertia E. conclusione statuit corpus Sanguinem cum vindictâ mortuum & occisum per plurimos dies vel continuo vel per intervalla naturaliter Sanguinem stillantem habere posse PRÆSENTE VEL NON PRÆSENTE INTERFECTORE. Quam cum postea confirmasset, refutat inibi eorum sententias; qui hujus rei causas naturales apertas investigant. Illis autem, qui ad supernaturalia confugiunt, respondet, non temerè fingendam esse causam supernaturalem, ubi naturalis in promptu sit. Quod si verò exempla talia sint quæ ad dictas suas causas non reducuntur, nulla ratione repugnare se posse, præternaturaliter hoc fieri. Fingit postea sibi objectionem quandam, quam etiam diluit, additque aliam rationem de quibus postea.*

S. 5. NB. Hæc verba præternaturaliter hoc fieri ambigua esse & posse habere vel hunc sensum: *Si dantur talia exempla quæ ad causas naturales revocari non possunt, nulla ratione repugnare possumus præternaturaliter hoc, sc. cruentationem cadaverum in genere, fieri; aut hunc: Si dantur talia exempla, non repugnamus illa fieri præternaturaliter: Sed*

procul

d) in sepsi physicâ medicâ de casu quodam admirando passim e) c. l. p. 66. sq.
f) tract. quest. p. 52. g) c. l. p. 37.

procul dubio priorem sensum non attendit Horstius, quia ipse super
naturalem causam rejicit, nec putandum est, eum tam inconstantis
sententiæ fuisse, ut quid sentiret, ipsi non constaret.

§. 6. Tertius verò apud Horstium *h)* videri potest, cujus verba
huc transcripsissemus, ni chartarum angustia nos inhibuisset. Brevi-
ter tamen: sentit ille, sanguinis fluxum vel ex agitatione & motu cor-
poris, vel planè ex accidenti contigisse.

§. 7. Restat ergo, ut veram sententiam proponamus & confir-
memus, adversariosque retundamus.

§. 8. Vera igitur nobis videtur altera, *affirmans* sc. *sententia*,
cui etiam plurimi & maximæ inter eruditos famæ Viri addicti sunt,
quos infra videbimus. Jam solùm exempla & rationes subjungemus,
& quia exempla instar fundamenti sunt, quibus tota superstruitur hæc
disputatio, ideò in iis recensendis, quòd res ita postulet, aliquantò
erimus prolixiores; selectis tamen illis, quas insigniores circumstantiæ
comitatae sunt, & ex quibus veritatem eò melius erui posse arbitrabi-
mur. Gradum tamen eorum servabimus.

§. 9. Jacobus ab Aqueria Patritius Arelatensis cum vulnere mor-
tuus esset, & qui vulnerârat, à magistratu comprehensus, in conspe-
ctum cadaveris delatus fuisset, ut occisum recognosceret & scelus fa-
teretur: mox ebulliens sanguis NB. multo cum fervore & bullis pro-
dire è vulnere & è naribus cœpit spectantibus cunctis. Horstius *i)* ex
Francisco Valeriolâ *k)* & Henric: Kornman *l)*

§. 10. Christiæni II. Daniæ regis aulicorum quidam, tempore
vespertino, luminaribus extinctis, stricto pugione interemptus est in
conclavi, in quo tunc temporis, præter regium cursorem undecim
aut duodecim nobiles convenerant. Cum autem de cædis autore
non constaret, ac nobiles culpam in cursorem conferrent; Rex omnes
in conclavi dicto congregatos custodiæ tradi, ac singulos manû dex-
tram nudo interfecti pectori admovere, atque jurato purgare coë-
git, quod extra culpam patratae cædis essent constituti. Id cum à
nobilibus fieret, NB. corpus occisi nullum signum cruoris emanantis
dedit. Accedens cursor mortui pedes primam osculatus est. Deinde
manu ad defuncti pectus applicatâ, statim Sanguis tam ex vulnere
quàm ex naribus magnâ copiâ erupit, necisque autorem ostendit.
Cursor verò se reum esse confitetur, & capitis supplicio est affectus.
Postea Rex Christianus dictum modum explorandi cædium autores
in

h) c. d. *i)* c. l. p. 40. *k)* l. 3. obs. f. 302. *l)* de mir. mort. part. 9, c. 23.

in toto regno suo passus est observari. *Heinr. Ranzov. in epist. ad Dav. Chytraem*, ex quâ citat *Melander m)* & ex eo *Christian Minsicht n)*

§. II. Johannes Spies miles Etisweilæ apud Lucernates, uxorem pulvinari suffocaverat. Quæstionibus subiectus, nihil confessus est. Igitur iudicum sententia exutus est, & rufus: atque à carnifice ad cadaver, 20. die post mortem effossum, adductus. Quo appropinquante, NB mulier sudare cœpit. Propius accedens, juraturus erat impositione digitorum, se infontem esse. Sed quid fit? Sanguis è cadavere per feretrum destillavit. De scelere igitur confessus est; pœnitentiam egit, ac membra contusus rotâ, periit. *Crusius o)* ex *Sebast. Franck*, Quam historiam etiam citat *Zeilerus p)* additque corpus sanguinem sudasse, quod tamen in *Crusio* non reperio.

§. 12. Werthemii in Franconiâ corpus occisi in plateâ noctu inventum est Triginta sex horis post, cum per aliquot horas aeri libero expositum esset (NB. ne fortè motus sanguinis fluxum concitasse arbitrari possit) ad illud adductus est *Balthasar N.* & *Nicolaus N.* sed corpus nullum signum dedit. Hi duo ante contentionem, aliò concesserant, & sic infontes erant. Adducto *Georgio N.* os occisi sanguine spumavit (hâc aderat, sed manus non admovit, litis tamen autor exstitit, verbis contentiosis promovit) quo abducto, ad præsentiam *Nicolai excubitoris* è corporis vulnere supra cor sanguis effluxit, illudque ac si viveret, trepidavit. Hoc non obstante excubitor juramento se purgavit. Accedente *Laurentio N.* quo cum occisus colluctatus est, cum vulneraretur, denuò mortui os sanguine spumavit & ex vulneribus sanguinem fudit. Sequenti die *Nicolaus excubitor* & *Laurentius N.* crimen confessi, dignam reportarunt pœnam. *Harsdörffer q)* Cui simile refert *Crusius r)* Hoc 1510. Anno, in *Bacchanalibus*, die Martis, interfectus est *Johannes Albuffer* (apud *Albussam* in *Mosbacensi* parochia) in *Sultzbergo*, punctione non magna supra genu: nec percussor sciri potuit. Quatuor postea septimanis, iterum die Martis, fratres & propinqui illius, duos aucupes ex *Kelenbergo*, in provinciale iudicium *Campidonum* adduxerunt, ac de cæde accusarunt. Illi, se innocentes affirmare; sententia lata est, ut jurejurando se purgarent: duobus digitis, inter quos alba lana in

B

vulnus

m) *Joco ser. part. 1. hist. 518. p. m. 463.* n) *im Schauplatz dencwürdiger Geschichte tit. 1.* o) *part. 3. annal. Suev. l. 9. c. 12.* p) *in theatr. trag. hist. 10. p. m. 337. 338.* q) *im Schauplatz jämmerlicher Mordgeschichte part. 6. hist. CXXIX. p. m. 444. 1q.* r) *p. 3. annal. Suev. l. 9. c. 16. sub finem. p. 536.*

vulnus impositis: an non aliqua mutatio vulneris secutura esset. Primò jurante nihil novi secutum; Altero autem jurante: rubere cœpit vulnus, & sanguis exire, per pedem defluens, populo cernente numerofo. Tunc iudices illum, ut cædis auctorem, capitis damnarunt: quo etiam supplicio affectus est publica in via, juxta provinciae tribunal ac fanum.

§. 13. In quadam Flandriae Universitate Studiosus Juris deperibat hospitiæ suæ filiam, quam spe nuptiarum deceptam imprægnavit; imprægnatam autem peregrè abiens dereliquit. Quæ filiam enixa, eam ope famulæ suffocavit, inque horto sub arborem, in sciâ matre condidit, duobus annis præterlapsis, hæc mater cum filiâ suâ ædes mutat; novus ædium incola in horto fodicans reperit infantuli cadaver, tam recens, ac si duorum vel trium dierum modò spatio mortuus esset. Accersitur mater cum filiâ, qua adventante corpuseulum filiolæ per nares, oculos & aures sanguinem fudit, &c. Hanc historiam lege fusius apud Harsdorfferum s)

§. 14. In Hispania aliquando Pastor quidam nomine Laurentius Borres occisus, & in vepreta & fruticeta abjectus est. Magna industria quæsitus, quarto demum, postquam vitâ privatus est, die inter fruteta lapidibus tectus, inventus est. Hæc res absque testibus peracta solam suspicionem in hominibus reliquerat. Suspecti de homicidio vicini quidam nobiles nomine de Vargas, Monserratus & Johannes Franciscus. Capti hi singuli ad corpus adducti sunt. Postquam primus accessit, cadaver copiosè sanguine manavit, donec abiit. Secundo accedente mortuus digitum ad vulnus & inde ad præsentem intendit. Hoc facto hi duo cædis auctores supplicio affecti sunt. Ex Joseph. Sesse. t) Harsdorffer u) & ex eo Zeilerus x) Huic ferè similis est illa apud Cantipratanum y) & Kornmannum z) quæ sic se habet. Anno ab incarnatione Domini M. CC. LXXI. in villa Theutonice Pforshheim nomine, contigit, ut quædam malignissima vetula Judæis familiaris effecta, puellam eîs annorum septem, orbatam parentibus, venderet occidendam: Hanc igitur in secreto super plura paria linteaminum obstructo ore ejus, in omnibus ferè juncturismembrorum incisionibus vulnerarunt, maximo conamine sanguini-

s) c. l. hist. 24. p. m. 76. seq. unde hæc utcunque transtulimus. t) decis. Arragon. u) p. 6. hist. CXXIX. p. 444. x) in DXCVIII. Sendschreiben. y) de apibus 1, 2. cap. 26. §. 22. p. 303. sq. z) c. 1. p. 9. c. 25.

guinem exprimentes, & in ipsis lintheaminibus diligentissime recipientes. Hanc autem post tormenta defunctam, Judæi in aquam fluidam prope oppidum projecerunt, & super eam lapidum congeriem posuerunt. Tertia v.l. quartâ die, per manum erectam ad cælum, à piscatoribus est inventa, & in oppidum deportata, horrentibus & clamantibus populis, a Judæis impiis tantum flagitium esse perpetratum: erat autem in vicinia Marchio de Baden, qui mox audito tanto piaculo, pervenit ad corpus statimque ipsum corpus erectum residens tetendit manus ad Principem, quasi vindictam sanguinis vel fortè misericordiam imploraret. Post horam verò dimidiam se deposuit defuncti more supinum. Adductis igitur ad hoc spectaculum impiis Judæis, statim eruperunt omnia vulnera corporis, & in testimonium horrendæ necis copiosum sanguinem effuderunt. Judæi capti pœnam dederunt.

§. 15. Cuidam Viatori in itinere interfecto, quod de latrocinii autore non constaret, manus resecta, ac in carcere Senatus Itzehöensis, ex tigno in fumo suspensa est. Tandem cum fortè fortuna post decem annorum intervallum autor cædis in eam domum se recepisset: manus jam dudum exsanguis & arida, sanguinem ex alto in mensam subjectam stillare cœpit. Ex quo conjectura facta est, hominem latrocinii reum existere. Carnifex visa Senatui indicat. Hic, homine in vincula coniecto, patrem meum accersit. Latro, eo præsentem, evidens judicium divinum agnoscens, cædemque ante multos annos à se perpetrata affirmans, justam sceleris pœnam, quam sibi infligi ultro petiit, persolvit. Melander *α)* vid. etiam Harßdörffer *β)* & Minsicht. *γ)*

§. 16. Sic me olim legisse memini, autor tamen non succurrit, arida ossa tangentibus interfectoibus sanguinem stillasse. Imò Crusius *δ)* recenset: falciculam cujusdam pauperis mercenarii à caupone interfecti, cum jussu magistratus caupo sumisset in manum sanguinem sudasse, & autorem prodidisse.

§. 17. Et ita dedimus exempla sanguinis, cum fervore: copiosè: ad aliorum præsentiam non, sed solum ad interfectoris: cum sudore: cum pulsu cordis: post biennium per oculos etiam: cum motu & tendentiâ manus: ex exsanguî manu: imò ex ossibus, manantis. Qui

B 2

plu-

α) c. l. ex epist. Ranzovii ad Chytr. *β)* c. l. hist. CLXVI. *γ)* c. l. pag. 3.
δ) part. 3. annal. l. 9, c. 12, p. 525.

plura desiderat, adeat Kornmann. ε) Engelium ζ) Saurium η) Mart.
Weinrichium θ) Cantiprat. ι) Zeilerum κ) Meland. λ) des grünen-
den L. Historien μ) alios.

§. 18. Hæc autem quæ recensuimus exempla talia sunt ut ratio-
nes Sperlingii & Horstii non admittant uti impræsentiarum fusius
demonstraturi sumus, videbimus tamen rationes eorum.

§. 19. Et quidem B. Sperlingius ita ratiocinatur ν) *in venis ca-
daveris aliquot dies & septimanas reservari sanguinem, unde levi com-
motive factâ ad corporis habitum & per nares aliasq; vias patentes ela-
bi, sive adsit sive absit homicida.* Sed Resp. ut concedamus, in ca-
daveribus tamdiu conservari sanguinem, concedamus m. levi motu
sanguinẽ expelli posse, seu absente seu præsentem homicida, negamus ta-
men, hoc in his exemplis ita contigisse; ex levi enim motu sanguis nõ
cum magno fervore & bullis cieri potest, quod in primo exemplo fa-
ctum: imò in secundo corpus f. cadaver nullum signum de se dedit
emittendi cruoris, donec homicida accessit, quo accedente demum
corpus sanguinem abunde stillavit.

§. 20. In tertio corpus non tantum sanguinem emisit, sed & su-
davit, quæ verò illius sudoris causa? num levis facta commotio? an
sudor m. remanet in corpore? an non potius evaporat? an non
quæ causa tum sudoris fuit, illa etiam, profusionis fuit? sed illius non
fuit commotio, cum ex sepulchro effoderetur; alias enim tum tempo-
ris statim stillasset, nec manuum impositio; nam cur levi manus vel
digitorum impositione sanguine stilleret? cum major motus, cum ex-
tolleretur è sepulchro, id non impetraverit. In quarto ipse Harsdörf-
ferus præscindit objectionem de motu vel commotione: & quæ ratio,
cur cor se moverit? cur accedentibus illis, qui fontes erant, non stil-
larit? cur illis, qui fontes erant, stillarit? ex motu enim non accidit.
Hic E. Sperlingius ratio deficit.

§. 21. In quinto sanguis non per aliquot dies vel septimanas, sed
per integrum biennium in cadavere remansit, & demum in præsen-
tia matris reæ, non ineffodendo, sanguinem per oculos, nares & os
emisit. In sexto sanguis maximo cum impetu promanavit & mor-
tuus manu homicidam indicavit. In reliquis rem clarissimam esse
puro,

ε) c. l. part 9. c. 23. & seqq. ζ) in itinerario rerum Marchicarum f. 173. η) in
diario f. 343. θ) de ortu monstrorum c. 17. ι) l. c. l. 1. capit. 16. §. 2. p. 57. seqq.
κ) teatro trag. hist. 10, p. m. 312, & hist. 15. p. 539. λ) Joco ser. part. 1. hist. 519.
μ) hist. 25. ν) c. l.

puto, qui enim manui aridæ ossibusque sanguis naturaliter inesse poterit.

§. 22. Quod autem dicit: *Non semper sanguine stillare cadaver homicidæ præsentis: nec quoties stillat, toties homicidam adstare*; facile ipsi largimur, nam ex supra dictis patet, non esse in quæstione, an semper id contingat, sed an aliquando contigerit, nec sumus in eâ opinionione, omne in cadavere occiso sanguinis profluvium semper testari præsentiam homicidæ. Quod autem exinde inferre vult, *experire etiam hanc esse fallacem*, id ipsi negamus: hoc potius hinc sequitur, in hoc casu non temerè judicandum, sed omnes rei circumstantias accuratè pensitandas.

§. 23. Ad Horstium jam pergimus, cujus rationes §) easdem cum Si erlingii §. præced. refutatis, jam non tangimus, sed quid ille peculiariter superaddat, videbimus. Ratio ejus prima desumpta est à similitudine, argumentatur enim ita o) *Quemadmodum animi affectibus vehementioribus in homine vivente maxima fit spirituum atq; humorum commotio & permutatio, ita negandum non est, in ipsis contentis humoribus & spiritibus post mortem quoq; ad tempus umbram & vestigium quoddam illius commotionis remanere, quæ paulo ante mortem præcessit. Non ergo mirum quòd corpus aliquod sanguineum violenter cum vindictâ mortuum & occisum, ejusmodi commotionem humorum patiatur, & per dies quosdam sanguinem per vulnus emitat: ea enim natura est sanguinis in Venis existens, ut reliquias quasdam caloris & Spirituum in sese retineat, per quas commovetur ad tempus eo motu, qui paulo ante mortem animâ adhuc præsentem eidem fuit impressus. Ad hanc igitur commotionem, ubi datus necessarius requisitus accidit, nihil facit absentia vel præsentia interfectoris naturaliter &c.*

§. 24. Ad hoc respondeo: concedo umbram & vestigia quædam sed imbecillia commotionis remanere in cadavere, dico tamen, illa paulatim succedenti tempore expirare: verùm quòd illa vestigia per tot & tot menses, imò aliquot annos permaneant, quòdque per se solum vim habeant tam copiosum sanguinem post longum tempus exciendi, hoc est, quod negamus: negamus etiã exinde deduci posse quod Horstius vult. Hoc saltem ex eo sequitur, sc. post mortem adhuc cadaver stillare sanguinem tam diu, quàm diu illa vestigia commo-

B 3

tionis

§) p. 36, 37.

o) p. 59, 60.

tionis durant, & cum illa evanuerint, cessare quoque sanguinis fluxum: porro: eo majorem fluxum sanguinis esse, quo vehementiores affectus mortem occisi præcessere, è contrario eo debiliorem, quo remissior est affectus, imò in illis, in quibus nulla affectus vehementia præcessit mortem; nulla; & ulterius; sanguinem non ex intervallo, sed continuè stillare.

§. 25. Unde infero, hanc rationem pro Horstii sententia non militare, quia 1. ille sanguinis fluxus, qui immediatè mortem sequitur, hinc non attenditur, cum ille naturaliter accidat absente vel præsentem interfectore, sed illum, qui intervallo temporis de novo accidit. 2. exinde sequeretur (α) in illis, qui maximà cum vindictæ cupiditate mortui sunt, maximo cum fervore ebullire, in aliis non item; imò planè non; cum contrariū potius nobis constet, siquidem illi m. qui ex inopinato interfecti sunt, item qui rationis usum nondum habuere atque adeo illius cupiditatis ut & aliorum vehementium affectuum in expertes fuere, multo copiosoque sanguine ad præsentiam interfectionum cruentati sunt, uti §. 11. & 13. vidimus (β) illam cruentationem semel deficientem redire non posse (aut enim illa commotio est adhuc in sanguine aut non, si est, fluit, si non est, non fluere potest) cujus tamen in §. 12. exemplum addidimus, ubi cadaver duobus vicibus sanguine fluxit. 3. sensim evanescit illa commotio, nec perennes complures, multò minus per annum & ultra durat, uti §. 13. exemplum adduximus: absente enim causa productrice & conservatrice, nempe affectibus, quibus humores concitantur, ipsa tandem pereat necesse est, cum m. in vivente talis sanguinis commotio præsentem causa producente & conservante vix tanto tempore perduret, quid in mortuis fiet, deficiente commotionis alimento.

§. 26. Sed videtur, Horstius suo argumento contra nostras responsiones suppetias ferre π) dum sc. ipse sibi objectionem fingit, cur sc. si sua stet ratio, non statim post mortem in paucissimis horis penitus totus sanguis ob fervorem atq. commotionem exeat? cum saepe videamus per plurimos dies eundem durare, nec semper continuo, sed quandoq. per intervalla fluere? & respondet, hoc per accidens fieri, non solum ab externis causis ambientibus, sed & internâ corporis dispositione, sanguinis abundantia vel defectu, venarum obstructionibus, aliisque impedimentis.

§. 27.

π) p. 61. seq.

§. 27. Eteertè non est de nihilo hæc responsio; videbimus tamen, quid contrà machinari queamus. Respondemus igitur 1. in genere, nostras priores responsiones ad Horstii objectionem non sigillatim s. divisim, sed junctim sumendas esse, adeoque cum hæc Horstii instantia non ad omnes, quas dedimus, responsiones applicari possit, sed secundam ex parte, & tertiam non tangat, stat adhuc inconcussa nostra sententia. 2. Ad singulas datas causas sigillatim: quod causas ambientes attinet, eas reservabimus peculiari thesi. Sanguinis abundantia potest quidem promovere longiorem fluxum, non tamen ejus impetum & fervorem majorem: ejusdemque defectus citius fluxum, non tamen ejus impetum sistere, multò minus planè tollere: sed hæc, (si credendum Horstio, dari tales commotiones) à differentia commotionis proveniunt, prout illa modo vehemens, modo debilis in sanguine existit; eadem enim est actio vehementis commotionis in copioso sanguine, quam in minus copioso, qui solum longiorem aut breviorum durationem causatur. Venarum aliquarum obstructio fluxum non potest impedire, aut si semel impedit, semper impedit. cum commotio tam fortis non sit, ut venas obstructas aperire possit, aut si potest, certè id statim post mortem facit, cum eo tempore adhuc sit fortissima, tempore enim succedenti languescit sensim: nõ probabile autem est, ut, quod valore adhuc præditum aliquid non potest perficere, id, jam debilitatum illud perficiat.

§. 28. Per causas ambientes verò Horstius intelligit aerem tum frigidum tum calidum, inquiens *g) Quis enim negabit, quod aeris externi constitutio calida fluxum sanguinis promovere, frigida contra impedire queat, utpote cum omne calidum aperiat rarefaciendo, frigidum verò corpus occludat constringendo? Probavit hoc paucos ante annos experientia in infante à sceleratâ matre statim post ortum occiso & ex arce Generosi cujusdam Baronis superioris Austriae, in fossam aquâ repletam injecto, qui post quinque septimanas forte fortunâ repertus atq; exemptus, non presente matre, tunc temporis adhuc incertâ, statim ubi vim externi aeris percepit, admodum sanguine recenti stillare cepit, quod sc. obstrigis aquæ meatus ad sanguinis fluxum accommodati penitus obstructi, jam calore ambientis aeris reserati atq; aperti fuerint.*

§. 29. Sed respondeo, calorem aëris solum non esse causam fluxus sanguinei, sed si corpus post violentam mortem ei immittatur,

tum

g) c. l. p. 62.

tum ob aquæ frigiditatem obstruuntur meatus sanguinis, adeoq; ut copiosior sanguis in venis remaneat, extracto v. corpore & aëri exposito, pandentibusq; se vulneribus, humor aquæ extrinsecus corpori adhærens, sanguinem ob humiditatis cognationem elicere potest, qui propter copiam eò citius & liberius m. exit, uti etiam in proposito exemplo sine dubio contigit. Quæ est ratio, cur corpora alia aquæ non immersa, sanguinem non fundant, si vel maximè aëri exponantur, nisi aliæ simul concurrant causæ. Frigidus verò aër constringit quidem, sed non memini me legisse, corpora talia aëri frigido & adeò frigido, ut congelare aut nimium constringere potuerit, exposita esse. Quicquid tamen ejus rei sit, hoc nihil aliud probat, quàm in his cautè procedendum esse, ne temerè judicemus.

§. 30. Sed novo nos Horstius petit ictu, quando σ) ait: *Sæpius quoq; accidit, ut servor hic sanguinis tunc solùm exterius appareat, quando adducitur is, qui interfecisse perhibetur, idq; non propterea quòd intersector sit præsens, sed quia jam cadaver commovetur, vulnus aperitur: aut quia propter hominum frequentiam in ejusmodi spectaculis maximam, calidiores expirationes ad aperiendos corporis meatus & humorum fluxiones citandas plurimum inserviunt.* Ad hunc ictum declinandum Resp. quod plurimum inserviant, concedo, quod verò eam solum cieant, nego. Corpus in his casibus non commovetur, sed commotum per aliquod temporis spatium immotum relinquitur, nec levis illa manus impositio tantam vim habet, ut Cap. IV. videbimus: repeto superiori §. dictum, hæc meam sententiæ veritatem non tollunt, sed tantùm prudentiam in judicando adhibendam esse monent.

§. 31. Quod porrò ejus probationem attinet, qua probare conatur, m. cadaver post aliquot septimanas sanguinem stillare posse, ea ex supra dictis refelli potest, ut adeò prolixiori non sit opus refutatione. Casum autem Horstio propositum (qui videre etiam est apud Kornmannum τ) in cujus gratiam scepsin suam scripserat Horstius, quod attinet, facile ipsi damus quod ille ex causis Horstii acciderit, adeoq; hæc non pertineat, cum præsertim fatente Horstio υ) intersector per multa milliaria abfuerit.

§. 32. Videtur m. ipse Horstius non penitus negare, quod dentur quædam exempla quæ ad suas causas referri nequeant: dicendo:

Si

σ) c. 1, p. 63. τ) l. c. part. 7 c. 62. υ) in decis. casus p. 71.

Si quis effectum hunc immediatè ad Deum referat, ei breviter respondemus, hoc solum addendo, quod causa supernaturalis non temerè fingenda, ubi naturalis in promptu est. Quod si exempla talia sunt, quæ ad has dictas causas non reducuntur, tunc nulla ratione repugnare possumus præternaturaliter hoc fieri. Clarum hinc est, quòd ipse Horstius causæ suæ diffidat, ut fateri necesse habeat, omnes sanguinis fluxus è cadavere non posse ad eam reduci, sed posse & quosdam præternaturaliter fieri. Scrupulus alicui suboriri hinc posset, an Horstius à nobis meritò internegantes quæstionem propositam recenseatur, cum ipse distinctè potius procedat & in quibusdā neget, in quibusdā affirmet. Sed non injuriâ fieri putamus, cum ille nostræ sententiæ non æquus fuerit, uti videri potest §. 4. hujus capituli, & prætereà totus ejus tractatus ferè nostram sententiam conetur evertere.

§. 33. Tertii nempe Zangeri rationes, in Sperlingii & Horstii, jam refutatae sunt, ut illis hinc recensendis & destruendis supersedere meritò possimus cum ad alia properandum sit.

CAP. III.

§. I.

Absolutâ jam quæstione primâ accingimus nos ad secundam, in quâ m. Autores duplicis factionis sunt, una est affirmantium, altera negantium. Affirmantium, numerò quidem magna est, sed inter se m. ejus membra maximè dissident, adeò ferè ut quot sunt autores, tot sint sententiæ.

§. 2. Alii enim naturales huic rei causas quærentes ad manifestas, alii ad occultas; & qui ad manifestas, iterum ad varias; & qui ad occultas, vel ad Sympathiam vel ad Antipathiam, confugiunt: quos, jam ordine in aciem cum copiiis suis producturi sumus.

§. 3. Inter illos, qui pro manifestis causis pugnant, primo loco collocamus Cœlium Rhodiginum ϕ) qui ita: *miraculum ex sanguine subtexamus alterum. Unde enim fiat, ut in vulneris autorem, si superveniat intra horas plus minus septem, profilire pernoscat. Nempe qui vulneratur, ac perimitur, in asficientem dolenter convertitur, cogitatio ultionem expetit a vide, ad id repente inardescit bilis, à qua mox succenditur sanguis, raptimq; tota vi sese ad vulnus proripit, tum fomenti causâ, tum vindictæ. Convolut spiritus insimul, qui insita le-*

C

vitæ

ϕ) lect. antiqu. l. 2. c. 12. p. 61. edit. Frobenianæ.

vitae mox autorem circumfiliunt. Cujus calore perseverant, perfi-
stuntq, aliquandiu. Quo tempore si vulnus inspiciat is cominus, pro-
mitur in eundem sanguis, tum calore necdum extincto, tum quod nec
agitatio quievit interior, tum quia vel prius in illum sese concitarat.
Porro quoniam spiritus suos repetit sanguis, suumq, proluciant san-
guinem spiritus. Quem locum m. citat Jonstonus x) Illique sen-
tentiae m. assentire videtur.

S. 4. Sequitur jam Petrus de Apono allegatus à Melandro ψ)
& Horstio ω) ex Petro Gregorio Tholosano, qui aa) inquit: Aut
quia ex vulnere recenter interfecti jam constricto sanguine fluxus de-
mum sanguinis fit ab interfectoris praesentia ex eo, quod accidit ex mo-
tu impresso ab interfectore ad interfectum virtute sua fortis imagina-
tionis & furiae: dicunt enim impresisse eum spiritus inimicitiae suc-
cessos in interfectum tempore interfectionis, qui ad praesentiam inter-
fectoris moveantur ex interfecto suo ad interfectorem suum, unde exie-
runt, propter quod causatur motus in corpore interfecti, & vulnera sic
sanguinem emittunt.

S. 5. Cornel. Gemma bb) Videmus extincto cadavere, usq, ad ter-
tium diem interfectoris imaginem velut in concreto sanguine latuisse,
cum eodem semel praesente residuus ille spiritus propter ideas inherentes
in percussorem obvium concitetur: nec prius profluvium sanguinis è
vulnere supprimatur, quam qui occiderit, longius à funere sit semotus:
quod studiosè semper ad probandum facinus à praeatoribus observatur.

S. 6. Bodinus cc) Hominum interfectorum animas plerumq, in-
stare vindicandis occisoribus, veteres affirmarunt. Sed hoc tamen ho-
mucidis omnibus non usu venire constat. Existimant nonnulli, si homo
occisus sine vindicta studio decesserit, id non accidere. Veruntamen no-
tae antiquitas, & Plato scripsit libro de legibus 1. animos eorum, qui
occubuerunt, in occisores insistere: quod Marsilius Ficinus lib. 16. de ani-
marum immortalitate, Lucretius & Virgilius Aeneid. 4. verum esse di-
cunt, & infinitis judiciis probaverunt Judices, homicida super cadaver
(etsi non attingat) transeunte statim è vulnere manare sanguinem.
Cui succenturiatur Kornmannus dd), statuens: quod anima circum-
erret corpus, eidemq, se insinuare tentet, intretq, m. & moveat id, praesentem
s. n. e

x) Tavmatogr. nat. cl. 10. e. 3. art. 3. p. 449. ψ) in Iocoser. c. 1. ω) in scepsi
p. 43. aa) comment. in probl. Arist. 7. part. probl. 6. col. 2. vers. deinde. bb) l. 1.
Cosmocrit. 2. 6. cc) l. 2, daemon. c. 3. p. m. 264. dd) l. c. part. 9. c. 33.

sente occisore, ut sanguinem emittat ad vindictam ejusdem. Allegat
ibid, & locum Gen. 4. Vox sanguinis. Quam sententiam de animæ
oberratione etiam defendit Bonaciolus ee)

§. 7. Pet. Gregor. Tholosanus ff) Refervescit occisi sanguis, &
quodammodo concutitur mente occisus, adversario, qui necem intulit,
presente.

§. 8. Watsonius gg) Satisfecerunt huic questioni, quos Came-
rarius citat Autores: certum, quod nes plerunq₃, neq₃ necessario fiat;
quando verò evenit, constitutio corporis, tum occisi, tum occisoris talem
mutationem causatur, metus aliq₃ affectus homicida, artus ejus alie-
rant, cumq₃ nudato, languido & mortuo corpori imponuntur manus tre-
mentis, poterunt sanguinem refrigerare, commovere & educere.

§. 9. Joh. Sophronius Kozack hb) existimat: in cadavere occisi,
supereffe spiritus fortes, servantes, impetum se vindicandi diutissime,
qui, accedente eo, cujus malitia laccessit fuerint, effervescent & prosili-
unt, profusq₃ sanguine ostendunt vindictæ indicia: id v. non fieri, si
trucidantur meticulosi, qui vi externæ non resistere, sed eam fugere
malunt.

§. 10. Galeottus Martius ii) Unde fit, cum homo occisus est, &
sanguis refrigit, ac fluere desit, comparente occisore rursus fluat:
quod sæpè contigit, & nos quoque plerumque oculis vidimus, & Græ-
cia de Patroclo hoc idem ait, Hectore homicidâ comparente, sed
hoc intra spatium decem aut duodecim horarum, ut plurimum
contingit, rarissimè ulterius se extendit. Nonnulli ex occisoris &
quidam ex occisi spiritibus hoc accidere arbitrantur, quod absolum
est, nam ad sanguinis jam frigefacti motum, non una pars spirituum
fatis est, sed utraque concurrit. Cùm enim occisor furore ductus, ho-
minem aggreditur, cuncti spiritus, qui sui sunt, opus juvantes, in oc-
cidendum convolant, sicuti de more eorum est. Itidemque hominis
trucidandi in occisorem tendunt, quo ira corporis sui prosilit, ita ut
in occisorem volent, ibique vivant. Cùm ille occisus est, sanguis
jam frigefactus fluere desit: sed comparente occisore, spiritus utri-
usque, diverso motu agitantur, quilibet suum corpus repetens, mo-
tum facit, unde & hominis occisi spiritus redeunt, sedemque suam

C 2

repe-

ee) de formatione foetus (impressus cum Pinxo de virginitatis notis) p. 237. 238.
fb) Syntagm. univ. juris l. 36. c. 20. n. 8. gg) in synopsi rot. phil. pag. 359, hh) l. 5.
sept. horol. microc. c. 61 ii) libr. de doctr. promisc. c. 22. p. m. 168. sq.

repetentes, & occisoris recedentes, ut ad corpus redeant, faciunt motum ejus rei, quam habitant. Habitant autem sanguinem, & hoc pacto sanguis jam fit frigidior, & ad fluxum ineptus, ab occisoris & occisi Spiritibus, vi multiplicata agitur rursus fluitat, estque illis tantus proprii corporis affectus, ut plerumque latitantem hominem, sed proximè existentem, intra tempus, quod assignavimus, tot enim horis vivunt, recognoverint ac repetiverint. Hoc autem non in omnibus occisis, sed in plerisque evenit, quoniam quorundam natura ita debilis est, ut eorum Spiritus uno momento conflaccant. Necessesse ergo est, corpora, ubi hæc fieri debent, sint calidiora, quoniam calore Spiritus conservantur.

§. 11. Andr. Libavius in pecul. de cruent. cadaverum dissert. (quam hæcenus non vidimus) citatâ apud Horst. ll) & Casmannum mm) statuit: *halitus ab interfectore provenientes, spiritus in sanguine adhuc latentes, tangere, & nisi vis major obstet, effervesce & ebullire sanguinem, egredi, &c.*

§. 12. Hi sunt potissimi, quos causas huic rei manifestas dedisse scimus, jam ad occultarum fautores pergimus.

§. 13. Cumque illæ duplices sint, vel sympathia, vel antipathia, duplicem m. autorum opinionem reperire licet, alii n. sympathiam, alii antipathiam eligunt. Sympathia assertores nullos ipsi vidimus, Casmannus tamen in Somatol. nn) & Magirus oo) dari tales asserunt.

§. 14. Antipathia v. patronos complures jam exhibebimus. Primum quidem eorum Franciscum Valeriolam citatum apud Horstium pp) qui qq) allegat hos versus Lucretii: — — libido

Incitat irritans loca turgida femine multo,

Idque petit corpus mens unde est saucia amore.

Namque homines plerumque cadunt in vulnus & illam

Emicat in partem sanguis, unde jicimur ictu:

Et si cominus est, hostem ruber occupat humor.

Additque, *in corpore recens occiso, in quo calor nondum extinctus est, occultam quandam interiorum vim esse, que ultionem tacitè clamat, iracunde ad vindictam bilem accendi: ab ea sanguinem inflammari, & ad vulnus confestim prorumpere: eodem concurrere & spiritus qui in occidentem, si coram steterit, migrent: Si igitur intra sex vel septem horas (cui m. subscribit Gaudent. Merula rr) accedat occisor, volan-*

ll) l. c. p. 43. mm) Somatolog. c. 20. qu. 5. p. 621. sqq. nn) l. c. oo) phys. pe-
gipat. l. 3. c. 8. th. ult. pp) p. 49. qq) l. 2. observ. p. 202. rr) l. 4. mem. c. 18. p. 286.

lantes in eum spiritus sanguinem secum trahunt, qui latente interiore vi spiritus suos repetit, &c.

§. 15. Sequitur Delrio, qui β.) à verò propius abire dicit eos, quã ad antipathiam confugiunt. Confer etiam ejusdem disquisit. magicas tt)

§. 16. Levinus Lemnius de occult. nat. mirac. uu) ait: Si quis hõs ad antipathiam referre velit, se hac in re non faturum contentiosum. Magirus xx) etiam ad antipathiam refert.

§. 17. Athanasius Kircherus yy) inter alia: ita hanc prodigiosam nature actionem explicamus: Vehemens & violentus spiritus, quo occisor alium sibi inimicum impetit, malignã vi plenus, per oculos, os, nares, in inimici ingressus intimas fibras, tum potissimum sanguinem, ac in sanguine latentem qualitatem vectore spiritu invadit, qui incitatus, vel vi rarefactiva sanguinis cadaveris, vel alio quodam occulto nature dissidio, loco cedens foras erumpit, eò quòd spiritus occisoris sanguini occisi dicta ratione communicatus, non commode in alieno subiecto existens, proprium videlicet occisoris sanguinem naturali inclinatione appetat, hic vero illum, ceu sibi proprium ac naturalem attrahat, non secus ac supra de antidotorum magnetismo docuimus, repellente cadavere spiritum tanquam sibi repugnantem & inimicum. Dum igitur occisoris sanguis, quod suum est appetit, occisi autem contrarius spiritus, spiritum inimicum & hostilem repellat, fit, ut hac spirituum contrariorum luctã, sanguis, quorum vehiculum est, effervesceat violenter foras erumpat. Atq; hac ratione ego hanc actionem sane prodigiosam perfici, salvo aliorum iudicio, existimo.

§. 18. Gasparus Schottus zz) Ego cum hæc ultimã (sc. quã ad antipathiam recurritur) opinione sentio. Repetit ibidem ea, quæ Kircherus aaa) habet.

CAP. IV.

§. 5.

Restat jam, ut falsas sententias à verã segregemus, easq; destrua-
mus, & deniq; veritatem detegamus: illa in præsentì, hoc in ulti-
mo capite σὺν Θεῷ facturi sumus.

§. 2. Notandum autem, ob rationum in autoribus similitudinem

C 3 in

ff) in Comment. super octav Senecæ vers. 117. tt) l. 1. c. 3. qu. 4. & l. 4. c. 4. qu. 5. sect. 1. uu) l. 1. c. 7. p. m. 162. xx) in phys. peripat. l. 3. c. 8. th. 16. & 17. pag. 238. yy) art. magn. part. 9. quæst. post. c. 3. zz) mag. nat. part. 4. l. 5. syntagm. 2. c. 4 p. 495. 599. aaa) c. 1.

in singularum sententiarum refutatione singula argumenta destruunt nos non ponere, sed ea ex cognatis petenda esse; tum, quia chartæ parcemus, tum ne cramben bis coctam eidem mensæ inferamus.

§. 3. Et ut ordine procedamus, primò de iis videbimus, qui causas manifestas quærunt. Dicimus autem, *hanc sanguinis effusionem ex his causis manifestis non provenire.* Quia autem varia à variis allegantur, eos in specie, quantâ tamen poterimus brevitate, refutabimus. conjunctis tamen illis quæ cognatæ, cognatas etiam habent rationes.

§. 4. Coelii Rhodigini sententia his laborat 1. extenditur tantum ad paucas horas, cum tamen nostra data exemplapleraque de diuturniori longè tempore loquantur. Ratio E. ejus caret pondere 2. præsupponit cogitationem quandam atque vindictam remanere in cadavere, cum tamen α . nō omnis interfectus cum vindictâ sit mortuus, uti ex aliquibus exemplis nostris patet. β . anima absit; si verò ille in ea est sententia, animam hæere adhuc, post excessum, circa corpus, refutabimus eum paulò infra. 3. statuit: *è corpore occisi spiritus egredi & occisorem circumfilire, ejusq; calore aliquandiu persistere, donec ille in conspectum cadaveris veniat, tum attrahentibus ad se spiritibus sanguinē, spiritus suos repetere sanguinem & sic effusionem fieri.* Ingens postulatum! spiritus, levisima corpora, egressos è cadavere, circumfilire autorem, nec aeris motu dissipari, sed tam diu permanere donec in conspectum cadaveris veniant. Ingens itidem postulatum! spiritus sanguinem repetere, & sanguinem, tanquam gravius, sequi levius, & sic è vulnere manare. Unde enim hic appetitus spiritibus? & si habent talem appetitum, cur à sanguine semel recedunt? unde illa insultatio spirituum in occisorem? nam vindictâ carent spiritus, quia animâ.

§. 5. Petrus de Apono, si sic statuit, uti in Horstii & Melandri citatione legimus, idem fermè cum Libavio sentit, quapropter ut unâ fideiâ duas dealbemus parietes, illi loco reservamus.

§. 6. Ideam seu imaginem interfectoris hæere in cadavere occisi ad tertium usque diem, quod Cornelius Gemma *bbb)* vult, non per moveri possum, unde enim illa idea illorum cadavera intrare potest, qui interfectorem suum planè non cognoverunt. Unde etiam sequitur, hoc ad exempla omnia applicari non posse. Sanguis enim

bbb) c. l.

non est Idearum talium receptaculum, si verò per Ideas intelligit impressam vindictæ cupiditatem erga percussorem; respondeo illam cum animâ semel abire, nec abeunte illâ remanere, cum illud animæ propria affectio sit, sed hanc sententiam recitasse est ferè refutasse, quare dicta sufficiant.

§. 7. Bodini, Kornmanni & Bonacioli sententia de animarum circa corpus oberratione omni caret fundamento, & religioni Christianæ adversatur, quam m. rem, ne falcem in alienam messem mittamus, Theologis relinquimus. Locum Gen. 4. quod attinet, Resp. à clamore vindictæ ad DEUM ad clamorem vindictæ ad homines, & ad sanguinis destillationem N. V. C.

Ut enim taceam, cum DEUS hoc ad Cainum diceret, fratricidam corpori Abelis non adstitisse, Deus hoc effato procul dubio Caino innuere voluit, sanguinem & cadaver occisi Abelis id testari, quòd videlicet ipse fratricidii reus sit; Vid. quæ in hunc locum habet Petrus Martyr. Hackspan *ccc*) aliique Commentatores. Et confer quæ pulcherrimè dicta sunt in hunc locum ab Ambrosio *ddd*)

§. 8. Tholosani ratio valeret quidem in vulnerato vivente, sed in mortuo talis mentis concussio locum non habet, ubi enim mens non est, ibi m. mentis concussio timenda non est.

§. 9. Objectionem Watsonii, quod nec plerumq; nec necessario contingat, superius refutatam dedim *eee*) ubi videri potest. Quod verò subjungit; *metum aliosq; affectus homicidæ artus ejus alterare, cumque nudato, languido & mortuo corpori imponuntur manus tremantis, posse sanguinem refrigerare, commovere & educere.* Ad id respondemus (1) non semper manus homicidæ imponi corporibus, & tamen aliquando solam præsentiam sanguinis fluorem secutum esse, (2) metum non semper occupare interfectorem, quoad exteriorem corporis habitum, imò sæpè ne ad interiorem; tum ob confidentiam, sanguinis effusionem non successuram, tum m. quod se de homicidio non esse suspectum videat, & corpori solùm appropinquet. (3) refrigerando sanguinem constringi non educi, ut vult Watsonius, ob frigoris vim constringentem & condensantem.

§. 10. Kozacki sententiam breviter, quoniam à reliquis solutio peti potest, tangemus. Spiritus per se non habent impetum vindicandi

ccc) libr. 1. misc. sacr. c. 1. p. 8. *ddd*) T. IV. lib. 2. de Cain. & Abel. c. 9. fol. 137. edit. Basil. Ao. M. DLXVII. *eee*) in. c. 7.

candi se, quia non sunt animati; ad id autem requiritur facultas cognoscens, quæ sc. objectum, à quo læsio profecta est, cognoscat, illa autem facultas animæ rationali competit, quæ in cadavere occisi non est. Meticulosos autem, & qui vi externæ non resistunt, sanguinem non emisisse falsum est, dedimus enim exempla.

§. 11. Libavius & Petrus de Apono in eo conveniunt: *percussorem emittere spiritus quosdam de se*; differunt in eo, quòd Petrus Aponensis *eos tempore interfectionis in occisum transfundi, eumq, postea presentem persentiscere, & fontem suum repetentes sanguinem secum ad vulnus trahere*; Libavius v. *eosdem tum demum, cum corpori mortuo sistitur, ab interfectore procedere, & sanguinem, impressum motum adhucdum habentem commovere, asserat*. His igitur respondemus: & primò Petro Aponensi, absurdum esse, spiritus inimicitia ab interfectore ingredi occisum, & tam diu servare appetitum repetendi fontem suum. Cum 1. homicida non semper occidat ex inimicitia, sed aliâ quandoque causâ, veluti exemplum c. 2. §. 13. allegatum declarat. 2. non semper ingredi possint corpus occisi, in illis, qui interfectorem odio habent, & cum eo de vitâ certant, ob resistantiam spirituum contrariorum in occiso. 3. illi Spiritus, si qui sunt, paulatim evanescent, ut tantam vim, quantam ipsis Aponensis affingit, habere nequeant, & si vel maximè talem vim haberent, illam in actu homicidii exercerent, cur enim, si in occisum transfunduntur, non statim sanguinem è naribus cient, veluti postmodum, *ex hypothesis Aponensis*, faciunt. 4. unde ipsis hic appetitus repetendi fontem suum, cum tamen spiritus alii è homine emissi, ad eum non redeant sed evanescent, 5. spiritus illi homicidam repetentes, tantum abest, ut sanguinem secum trahant, ut potius eum fugiant, & à se, ob odium quod spiritibus cum sanguine occisi intercedit, repellant. Secundò Libavio: 1. sequi ex ejus sententia, sanguinis fluxum in aëre libero & sub dio non dari è cadavere, quia spiritus interfectoris tam fortiter in sanguinem agere non possunt, ut eum expellant, si in aëre libero id fiat; propterea quia spiritus diffunduntur in aëre, nec uniti manent. 2. quod motum impressum ex vehementia affectuum attinet, respondimus ad id c. 2. unde eò ablegamus. 3. sequeretur, m. alios homines per spiritus suos egredientes cieri posse in cadavere sanguinem, cur enim spiritus interfectoris majorem habeant vim, quàm aliorum, non video.

§. 12. Galeotti Martii sententia, *quòd tum occisoris, tum occisi spiritus*

tes in alterum migrent, & hinc ad presentiam occisoris quilibet suum corpus repetant, & inde sanguinem moveant. Præter difficultates in superioribus sententiis jam animadversas hæc absurda continent 1. Spiritus occisi ex occisore egredientes similiter sanguinem commovere debere, ac spiritus occisoris in occiso, quod tamen non compertum est, cum occisores sanguinem è naribus fuisse non legantur. 2. cum ipse fateatur, hoc in illis tantum locum habere, qui spiritus habeant fortiores, in illis non, qui debiliores & statim flaccescentes; sanguinem ex illis non fluere, qui vehementi odio & irâ aliisque affectibus erga occisorem non flagrant.

§. 13. Hi fuere assertores causarum manifestarum, quibus refutationis convertimus nos ad occultarum fautores, visuri, quid illi possint.

§. 14. Dicimus autem, hanc sanguinis profusionem ab occultâ aliquâ qualitate non proficisci. Id quod jam deducturi sumus. Sympathia patronos quia non vidimus, nec eorum rationes magni momenti sunt, refutationi illorum non inhærebimus; qui tamen eandem legere gestit, adeat Casmannum in Somatol. fff) & Magirum in phys. peripat. ggg)

§. 15. De Antipathia res est difficilior, antequam ergo in arenam cum ejus propugnatoribus descendam, quoddam in genere prænotandum erit.

§. 16. Definatur communiter Antipathia qualitas, quæ res naturales, ex occulta quadam inimicitia naturaliter inter se dissident &c. ex his deduco, 1. hanc dissensionem naturæ dissentientium insitam debere esse, ut adeoque ille dissensus innatus, non illatus; à natura, non ab arte, aut aliunde profectus esse debeat. 2. quia hæc dissensio est naturalis, eam positis circumstantiis necessariis semper agere. Nam causa naturalis positis ad actionem requisitis non potest non agere.

§. 17. Hinc patet hanc sanguinis effusionem ad antipathiam referri non posse. Quia 1. illa inimicitia inter occisum & occisorem non est naturalis, nec ipsorum naturæ connata, sed ob alias causas illata: cum aliud fundamentum præter se non habeat, adeoque cum illo naturali odio, quale illud:

Non amo te Volusi &c.

non comparanda, quia hæc ex contingenti in homines introducitur. 2. non semper hic fluxus sanguinis accidit, si vel maximè cir-

fff) c. l. p. 621, ggg) c. l.

cumstantiæ adfuerint, cum experientia testetur, & plerique fateantur, frustra interdum hunc fluxum in præsentia occisoris sperari. Sic igitur pluribus non indigeremus ad hanc sententiam refutandam, videbimus tamen in specie, quid allaturi sint.

§. 18. Valeriola quidem *internam vim ultionem clamantem causari sanguinis fluxum* dicit. Unde autem interna illa vis? & cur non semper ultionem clamat? numne ergo occisorem adesse intelligit? & cur non in omnibus illa occulta vis est? cur illa interior vis in sanguine latens, & sanguinem spiritus suos, in hostem volantes, repetere faciens, non facit etiam sanguinem volare in occisorem? hæc nempe difficultates adegere Valeriolam, ut dicto loco tandem confiteatur, *magis censendum esse, arcano DEI iudicio hæc fieri.*

§. 19. Quod autem versus Lucretii *hhh)* à Valeriola citatos attingit, existimat Lambinus, tres posteriores versus esse supposititios, cum non significant id, quod voluit Lucretius, & præterea tota eorum elocutio & sententia frigida & inconcinna sit, quæ fusiùs apud eum *iii)* videri possunt. Nos, quicquid interim de Lambini sententia sit, dicimus; Lucretium hinc non loqui de vulnerato mortuo, sed vivente, cum aliàs ad priores versus planè non collineent, nisi de vivo vulnerato intelligantur, cuius *m.* sententiæ est Delrio *kkk)*

§. 20. Ultimi denique, Kircherus nempe & Schottus *lll)* unum cornu instantes, restant. Supponunt illi (1.) è corporibus certâ humorum specie constantibus, insensiles quasdam subtilissimasq; exhalationes diffundi, quæ, dum aliud corpus in actionis sive spherâ attingunt, miram habeant alterandi facultatem & potentiam, 2. affectus animi vehementiaq; pathematam maximam vim continere in animam, spirituum opo humores & præcipuè sanguinem alterando, 3. in mortui cadavere non statim omnes qualitates sanguinis, ut nec spiritus, desinere, sed pro dispositione corporis naturalis multo tempore durare, quorum operâ aliqui motus aut actiones, vivis non absimiles, causari possint. 4. dari inter homines aversionem non propter solam imaginationem, sed propter physicam quandam qualitarum contrarietatem. Quas hypotheses quare supponant, videbimus, destructuri postea eas, si è re fuerit. Prima igitur eò tendit, ut demonstrent, exhalationes quasdam è corporibus tum occisi tum occisoris egredi, & in alterutrum ferri. Secunda

hhh) l. 4. à vers. 1041. ad 1047. *iii)* in Comment. super Lucret. in hunc locum.
kkk) in Comment. super Senecæ Oct. vii. *lll)* cit. loc.

cunda & tertia, affectus & pathemata vehementia commovere sanguinem, eamque commotionem etiam post mortem, pro dispositione corporis, satis validam esse ad longum quandoque tempus, ut effectus edat, illis similes, qui à vivis profecti sunt. Quarta, qualitatem quandam physicam occultam in corpore occisi generari, quæ spiritus inimici aversetur, eosque corpore suo expellat.

§. 21. Ad hæc igitur respondemus breviter 1. ut concedamus, dari tales exhalationes, quæ ex occidente in occisum ferantur; eas tamen corpus occisi, imò sanguinem ejus, in quo vis illa occulta spiritibus inimici adversa latet, intrare, ad id credendum induci non possumus; quia illa occulta vis procul dubio id non admitteret, accedentibus illis vehementibus affectibus. 2. commotionem illam sanguinis ex vehementibus pathematis prognatam ad eos tantum spectare, qui vehementibus affectibus perturbati sunt, adeoque insufficientem esse: ut taceam, illam commotionem non pro diversitate temperamentorum & corporum constitutionum diversimodè durare: quis enim credet, in infante nato meliorem corporis dispositionem esse quam in adulto? cum tamen ille post biennium demum sanguinem stillarit. 3. hypothesis de qualitatibus physicis contrariis in corporibus nihil roboris confert sententiæ Kircheri & Schotti, cum à Schotto adducta exempla loquantur de qualitatibus connatis, & à natura ortis, non à facultate intellectivâ & sensitivâ introductis, qualis hæc est. Sed plura in superioribus refutatis huc applicari possunt, ut prolixiori non sit opus censura, reliqua reservamus discursui.

§. 22. Ex his igitur videri potest, quanto opere quidam laboraverint, ut huic rei naturales causas assignarent, quas dum non invenerunt, alia, æquè dubia, supposuerunt, ut suas opiniones superstruere potuerint, de quibus audi elegantissima verba Excellentissimi Danhaweri *mm*) (quibus in hoc caput claudimus) *Nugæ nugarum! Heliogabalæ cœnæ, quæ convivarum famem accendunt magis, quam restringunt, animum spatioſâ rationum forma suspendunt, non satiant, ac tandem, si omnia in unum redigas, ad commune asylum ignorantie remittunt, ibiq; affixos tenent, donec nunquam venturus veniat, qui cum suis nodis luctantes exsolvat, & explicet experientie ancipitia, quæ nunc sui tentatoribus satisfaciat, nunc destitnat eosdem: Secretum*

D 2

Symo

mm) in meletem. de mirac. p. 56, sq.

sympathia, quæ inter latronem, & crudeli necæ peremptum esse nequit, aperiat: Quis enim ad unionem sui hostis sanguis inclinaret? non fugiat magis ac retro se abscondat emerfurus? docent, quo altore vis impressa ad plures annos perseveret in aliis, in aliis deficiat proximo dierum spatio? utriusque enim experimenti historia præstò est. Quis fiat, quòd idem sanguis carnificem, cum truncatum corpus sepelit, non prodatur novo effluxu? an in eodem impetu inequalis nature genius, & quæ inequalitatis ratio? cur idem non eveniat in mactato bestie cadavere? cur corpus leto datum impressam virtutem quadam quasi reflexione reddat, non item corpus, sauciatum quidem, vivum tamen adhuc, & quæ sunt hujus generis ἀπορρογ. alia γὰρ διήχησα.

CAP. V.

S. I.

Superest ut de nostrâ sententiâ pauca subjiciamus. Quòd hîc sanguinis fluxus tales causas naturales non habeat, quales c. III. produximus, c. IV. vidimus; jam, quòd nec alias causas naturales habere possit, demonstrabimus.

S. 2. Argumentamur autem ita: Quodcumque positis ad actionem necessariis requisitis non semper, sed aliquando tantum fit, illud non est naturale. Atqui sanguinis fluxus è cadavere occisi positis ad eum necessariis requisitis non semper, sed aliquando tantum fit. E. non est naturalis. Major etiam apud adversarios extra conversam est. Minorem qui negat, contrarium probet: certum enim est, non semper ad præsentiam inractoris subsequutam esse cruentationem, id quod & plurimi ex supra refutatis concedunt: circumstantias necessarias abfuisse, nobis hactenus non persuaserunt.

S. 3. Argumentamur porro: Cujus rei nullæ causæ naturales dantur, ejus causæ in naturâ frustra queruntur. Atqui hujus fluxus causæ naturales non dantur. E frustra in naturâ queruntur. Major est clara, Minorem probavi priori argumento. Quid ergò tandem definiendum sit dispiciemus.

S. 4. Statuimus ergo: talem sanguinis effusionem, qualis c. 2. in exemplis adducta est immediate à Deo produci, adeoque supra naturæ vires esse, ad manifestandum tam detestabile peccatum atq; delictum. Id quod ex insufficientiâ causarum naturalium hactenus probavimus, quæ tales sunt, ut exempla allata per eas debite explicari nequeant,

queant, quod etiam quosdam ex præcipuis (Schottum nempe, Horstium, Valeriolam) nostris adversariis eò adduxisse arbitramur, ut ut tandem in nostrâ sententiâ ultimum præsidium quaesiverint, & causarum suarum infirmitatem agnoverint, si non in omnibus, certè aliquibus, exemplis. Id quod testatur Salomon Alberus *nnn*) inquit; *Quæ à Ficino & secuto eum Francisco Valeriolâ sanè quàm argutè acutèq; eâ de re cogitata sunt, talia esse constat, ut ne ipsis quidem autoribus, nedum aliis satisfacere posse videantur.*

§. 5. Ad Objectionem Horstii & Schotti, non esse querendas causas supernaturales, ubi in promptu sint naturales, Resp. concedendo, non esse querendam supernaturalem, ubi adsit naturalis, sed illa naturalis fundamentum in re habeat, vera, & ad effectum producendum apta atq; sufficiens sit, necesse est. Id autem illorum causis denegavimus in antecedentibus.

§. 6. Sed instat Schottus *ooo*) à Philosopho alienum esse ad supernaturales causas confugere. Resp. à Philosopho etiam est alienum, causas naturales querere ubi non sunt: sicuti circa facilia hæerere, ignorantia; ita circa ea, quæ vires naturæ transcendunt, nimium curiosos esse, maximæ arrogantia; est; natura naturans terminos & limites posuit naturæ naturatæ, quos ultra justum extendere, injuria est in supremam naturam.

§. 7. Quid autem impedit, cum Deus, utpote qui homicidio maximè læditur, per quod sc. magna naturæ vis infertur, variis mediis iisque etiam quandoque supernaturalibus utatur, ad producendum homicidam (quod ferè omnes historicorum libri produnt) quominus dicamus, hunc sanguinis fluxum esse tale medium, quo prode re soleat homicidam.

§. 8. Diabolum autem causam esse hujus effusionis, id quod quidam volunt, nobis probabile non videtur, cum nulla ratio subsit, cur id diabolo potius, quàm Deo adscribamus, cum illa sanguinis profusio fiat ad bonum finem; nec, quod fortè diabolus intendere posset, legamus, insontem ex hac ratione punitum esse, & præterea magis è re diaboli sit occultari, quàm manifestari, homicidia.

§. 9. Notamus autem *cantè in his casibus procedendum, omnesq; circumstantias ponderandas, ne fortè nos præcipitemus, & insontem de homicidio suspectum reddamus, periculumque ipsi creemus, cum*

nnn) in orat. de sudore cruento. *ooo*) c l.

contingere possit, ut praesente homicidâ de facinore nondum suspecto, alius ex fluxu sanguinis homicidii argui possit. Quod si tales circumstantiæ, quales à nobis iam datis exemplis adducuntur adsint, non ociosas eas esse perpendamus. Controversiam autem apud Jureconsultos celebrem, an fluxus hic indicium sufficiens & certum ad torturam faciat, nostram non facimus, sed ad Ictorum forum & cathedram ablegamus, qui hâc de re disceptantes videri possunt.

§. 10. Cur hic fluxus autem non semper contingat, videri potest apud Kornmann. ppp) & Hieronymum Nymannum qqq) nempe Deus, ut liberrimum agens, suâ libertate utitur, vel quia autor jam satis notus, vel quia eum ad aliam pœnam reservat, vel quia cædes improvisò & involuntariè facta, vel quia sufficienter ad id impulsus à cæso l. aliâ quadam ratione. Quare temerè ad eum provocandum esse non censeo.

§. 11. Cœterum qui plura de hâc re legere gestit, adeat Schottum mag. nat. rrr) & ibi magno numero reperiet, qui de hâc materiâ scripserunt. Item Delrii comment. super Octav. Senecæ sss) Kornmann. ttt) Minsicht. uuu) Harsdörf. xxx) Nostri enim instituti, facultatisq; nostræ non fuit omnes excutere.

§. 12. Hi igitur termini, hi limites, hi cancelli sunt. Hic pedem fessi figimus; hæc sunt, quæ pro modulo nostro in rem tam arduam meditati fuimus: si lectori ubique non satisfacimus, veniam pro nobis ipsa orat materia, quæ subactum ingenium postulat, veniam etiam ipsi petimus, & ut B. L. hoc qualiquali specimine contentus esset velit, rogamus.

ppp) c.l. qqq) orat. de imaginat. rrr) l.c. sss) l.c. ttt) l.c. uuu) c.l. titul. 1. xxx) c.l.p. 443.

Paralipomena.

I.

AD cap. II. §. 23 ad illa verba Horstii: *umbram* & *vestigium quoddam illius commotionis remanere* &c. Argumentamur: Quodcunque ipsum solùm non habet vim sanguinem exciendi, illius

illius quoque umbra & vestigium solùm non habet vim sanguinem exciendi. Atqui commotio humorum & permutatio ipsa solùm non habet vim sanguinem exciendi. E. neque ejus umbra & vestigium. Major probatur, quia vestigium & umbra non transcendunt sphaeram potentiae illius, cujus umbra & vestigium sunt. Minor ex eo patet, quia 1. sequeretur, talem vehementem commotionem & permutationem humorum, ex aliis etiam actionibus, & non solùm ex pugna cum hoste de vitâ, ortam, sanguinem ciere. 2. illa commotio in interfecto, cum hoste adhuc contendente, non legitur, è naribus, ore, aliisque locis patentibus, sanguinem expulisse.

2. Ad §. 3. cap. 3. notamus, Coelium Rhodiginum vocem *miraculi* non sumsisse *specificè*; sed *etymologicè*, pro re admiranda:

3. Ad §. 4. dicti capituli. An hæc sit sententia Aponensis, dubito: cùm Melander d. l. p. 466. dicat: *Conciliatorem* (sive Aponensem) *hoc ex motu & voluntate divinae justitiae provenire, attestari.* Et videtur etiam Schottus dubitasse de hæc re; quicquid tandem sit, si vel maximè Aponensis sententia hæc non sit, refutamus tamen, quia ipse procul dubio ex aliis citavit.

4. Sic etiam de allegato Bodini statuo, ex ejus enim verbis non colligo eum in hæc sententiâ fuisse.

§. Quod


5. Quod Bonaciolus pro confirmandâ suâ sententiâ affert, nempe: *Arabem Avenzoar, à medico defuncto, in somno, opotimū oculo suo agrotanti præsidium accepisse*: non confirmat sententiam ejus, cum illud aliunde, quàm ab animâ defuncti acciderit.

6. Ad c. 3. §. 18. Schottus olim in eâ fuit sententiâ, vel casui vel judicio DEI arcano adscribendum esse hunc fluxum, uti patet ex l. 12. Phys. curios. c. 8. pag. 1551. Sed postea ab eâ discessit. in mag. nat. c. 1.

7. Notandum ad cap. IV. §. 20. Kircherum & Schottū in hoc à se invicem distare, quòd Kircherus, *qualitates sanguini inexistentes ut & spiritus, pro dispositione corporis, jam ad longum, jam ad breve tempus, in corpore mortuo permanere*; asserat. Schottus verò iisdem breve tempus assignet. Quare tertiam ibidem hypothesein ad solum Kircherum extendi & restringi velim.

F I N I S.







00 A 6335

ULB Halle
002 919 478

3




Vb 17

Zitro ✓





int r
espi
cqua
erte
roeli
ois ex
des,
ingi
Dma
nen
vos c
em,
io Du.
M, Jo
s fin
cauzi
a fer
EUS
noret
toris
n
HR
tesq
umin
r sua
idius
Tua
fama
vod
ami
STI



Q. D. B. V.
Dissertatio Historico-Physica,
DE
FLUXU SANGVI-
NIS E CORPORE OCCISI
AD PRÆSENTIAM OCCISORIS,
Quam
DEI & Superiorum indultu
in Alma Philureâ
Publica eruditorum censura submitunt,
PRÆSES
M. CHRISTOPHORUS PFAU-
ZIUS, Ulmensis,
&
RESPONDENS
CHRISTIANUS Blauschmied /
Ph. Bacc. Weidâ Variscus,
Ad diem 19. Nov.
H. L. Q. C.

Lipsiæ, Typis JOH. WITTIGAU,
ANNO cl^o Id^o LXIV.

Pe. Lic. & flutor